

tri desolata, tamquam effigiem sui ad solatium relinquare voluerit, sicut solet sponsus facere sponsæ ad ea discessurus, ut si ipsa saltem in imagine sponsum suum possideat: sed qua in re similem Christo ostendemus Joannem?

Primo, in moribus et conversatione. Nam in primis, uti diximus, virgo fuit et innocens, quemadmodum et Christus. Deinde, uti Christus adeo dilexit homines, ut propter eos perditos recuperandos descenderit de cælo et tradiderit se in manus hostium, ac biberit amarum passionis calicem, ita suo modo fecit et Joannes. Nam ut refert Euseb. ex Clem. Alex. l. III. hist. c. XXIII. pro adolescente, qui ab ipso commendatus alicui episcopo erat, postea vero seductus, et princeps latronum factus, recuperando, in locum prædorum illorum descendit et fugientem a se discipulum consecutus est atque ad meliorem frugem revocavit. Deinde, bibit etiam Joannes calicem venenatum pro conversione infidelium, ex pacto, ut alibi diximus, ut si absque læsione eum biberet, illi Christo crederent. Ad hæc sicut Christus in ultima cæna ante passionem et mortem suam dilectionem proximi longo sermone, tamquam rem præcipuam, suis commendavit, Joan. XIII. et XV. Ita fecit et Joannes, cum ad sepulcrum vivens deferretur, identidem repetens illud: *Filioli, diligite alterutrum, quia præceptum Domini est.*

Secundo, in martyrio, plusquam Petrus aut Andreas, tametsi illi crucifixi sint, non Joannes: qui cum magistrum suum tenerime amaret, solus ex discipulis in cruce patienti adstitit; unde non tam similem, quam eandem in Christo, martyrum rationem subiit: siquidem anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Cogitate quid doloris senserint matres, patres, fratres et sorores infantum illorum, quos occidit Herodes, cum viderent eos ante oculos suos tam dire necari. Majorem fuisse Joannis dolorem, nihil dubitandum. Refert Vincentius, l. CLXXXIII. hist. c. LXII. duos quosdam nobiles pueros vultu simillimos, diversorum tamen parentum, cum ambo Romam euntes, in civitate Luca convenirent, et Romæ baptismum ambo suscipere, ab eo tempore admirandum in modum se multuo dilexisse. Atqui Christus et Joannes eodem etiam baptismo sunt baptizati, cruento nimirum illo, qui a Christo descendit in Joannem, quando super hunc illius deflexit sanguis. Quando duo socii longum et periculosum iter confecerunt, vel simul a Turca capti simul ab eo duræ servituti subjecti et simul liberati sunt, non dubium quin tota vita se mutuo valde diligant; cur ergo non liceat sic ratiocinari de Christo et Joanne? Nam

prævidit Christus Joannem sibi socium in passione futurum antequam id fieret. Rursum hinc atrocior Joannis passio fuit, quam cæterorum apostolorum, quoniam illi gaudebant, quod pro Christi nomine paterentur, hic vero dolebat, quod pro eo pati non posset, sed patienter pro se aspicere deberet. Unde S. Bingham, in reuelat. lib. IV. c. XXIII. narrat se audisse B. Virginem dicentem Joanni inter alia: *Amarior tibi passio Filii mei facta est, quam præ cæteris clarius aspexisti.*

Et hinc non immerito, similis etiam Christo factus est Joannes in resurrectione accelerata, juxta probabilem multorum sententiam. Nam post mortem eum mox resurrexisse et cum corpore translatum esse in cælum, sicut et B. Virginem, sentiunt Niceph. l. I. hist. c. XXV. Petrus Damianus, serm. II. de S. Joanne, D. Thomas in c. XXI. Joannis. Cujus indicium est, quod corpus ejus postea cum requireretur ab ejus discipulis, inventum in sepulcro non sit, sed pro eo solum manna candidum plurimorum morborum remedium, ut scribunt Petrus Damianus, Epiphanius, Greg. Turonensis et alii. Nec dum etiam de corpore ejus quiddam repertum est, cum tamen aliorum apostolorum reliquiæ adhuc extent. Quis autem credat Christum voluisse solius Joannis, sibi dilectissimi corpus latere in terris sine omni honore et veneratione? Itaque sicut Maria et Joannes fuerunt Christo socii passionis, ita juste sunt et consolationis, cum Christo jam immortalitate vestiti, ait Thom. Cantpr. l. II. apud, c. XIII.

III. Amor reciprocus. Ita testatur Seneca, cap. IX. cum ait: *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine; si vis amari ama.* Similiter S. Chrysost. hom. XIII. ad populum ait: *Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? Ama.* Sed quomodo ostendemus Joannem in amando Christo præcipuum fuisse? Colligit id S. Hieronymus ex tribus. Primo, lib. I. contra Jovin. c. XIV. ex eo quod nuntiante Magdalena Christi resurrectionem, cucurrit una cum Petro ad sepulcrum, sed præcurrit citius Petro, et primus ad monumentum venit, Joan. XX. Id quod ardentior amoris argumentum est.

Secundo, in epitaphio Marcellæ ad Principiam. Quia cæteris et discipulis latentibus ipse in domum Caiphæ intravit, quando Christus ibi sistebatur ad tribunal; et introduxit Petrum in atrium, uti sentit ibi S. Hieron. Animosior ergo cæteris fuit, utique ob ardentiorum amorem: *Perfecta enim charitas foras mittit timorem*, ait ipse, l. Joan. IV. Petrus ne nosceretur, negavit se Christi discipulum, tantus alioquin athleta, qui paulo ante pro Christo animam ponere vole-

bat (tantus erat Judæorum furor contra Christum); at Joannes cum esset notus pontifici, intravit ejus domum, utique præsentissimo suo periculo: Quamquam hæc. Hieronymi sententia incerta est.

Tertio, ibidem ex eo, quod solus ex Christi discipulis Christo sub cruce adstiterit intrepidus, inter furentes milites et principes sacerdotum ac Judæos. Quare si Christus commendat omnes discipulos, quod permanserint secum in tribulationibus, quanto magis præ cæteris Joannem? Quid mirum ergo si magis a Christo dilectus fuit, qui magis et in finem eum dilexit? *Ego diligentes me diligo*, ait Sap. Prov. VIII.

Dicit jam aliquis: Qua tandem ratione possum et ego obtinere, ut diligar a Christo? Respondeo, si sequaris exemplum Joannis in iis quæ diximus, saltem pro viribus. Et primo, cura ut sis bonus; imprimis vero stude innocentia, et cura ut servias Deo a tenera ætate. Nam, teste Jeremia, Thren. III. *Bonum est virum cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Noli itaque differre vitæ emendationem usque ad senectutem, ut parum boni effici potest. Nam uti ingratus est servus qui aliis, dum robustus et juvenis erat, servitium suum non impendit: et cum senex effectus est, querit impendere ita etiam coram Deo, nisi quis tarditatem fervore compenset, quod raro fit et difficulter.

Deinde, stude castitati saltem conjugali, si non virginali: nam et de illa Sapiens ait: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate? Immortalis est enim memoria ejus, quoniam apud Deum nota est et apud homines*, Sap. IV. Agnoverunt hoc et gentiles, quorum vox erat: *Casta placent superis.* Contra de fornicaria dicitur, Jerem. III. *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te: ubi vox tamen, non obscure indicat, suscipiendam quidem, sed non cum tanto gaudio, quam si fornicata non esset.*

Deinde, cura ut fias Christo similis. Primo, in dilectione proximi. Ipse enim dixit Joan. XIII. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Curemus similiter querere et revocare oves errantes. Bibamus etiam pro salute proximi, quandoque calicem amarum, devoremus labores, afflictiones, contumelias, injurias, etc. ut fratres nostros lucrificiamus.

Deinde, in patientia tribulationum. Sic enim S. Ignatius martyr cum ex Syria Romam duceretur leonibus objiciendus dixit: *Nunc incipio fieri Christi discipulus, q. d. nunc quando sanguinem pro Christo fundere incipio, quasi vivis co-*

loribus pingar, ac Christi similitudinem induam.

Tertio, cura ut vicissim ames Christum. Eum vero amorem demonstra primo, per devotionem currendo ad res divinas et præveniendos alios: *Vidisti virum velocem*, ait Sapiens, Prov. XXII. *in opere suo? Coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Secundo, per fortitudinem, non timendo adversarios, qui impedire te a bono volunt: *Perfecta enim charitas foras mittit timorem.* Itaque vidisti aliquando fratrem tuum peccantem? Vidi, ais: correxisti illum fraterna monitione? Non, quia timui, inquis, ne offenderem illum. Atqui perfecta charitas foras mittit timorem. Audistine forte in platea stans, aut in domo, pulsum ad orationem angelicam? Audivi: sed flexistine mox genua ad orandum? Non: Quia timui, ne riderer a circumstantibus. Atqui perfecta charitas foras mittit timorem: et idem dico de frequentatione sacramentorum aliisque pietatis exercitiis.

Superest, auditores, ut pia et spirituali quadam æmulatione titulum Joannis nobis quoque comparemus. Arrogarunt sibi ethnici imperatores varii varios honorum titulos, magna ambitione, exiguo merito, nullo fructu. Alexander Macedo dictus fuit *magnus*, quod innumerabiles pene exercitus fudisset, et reges perdomuisset: Antonius imperator cognomen *pili* accepit, sive quod socerum fessa ætate, manu sublevarit, sive quod Hadriano sævienti senatores aliquos surripuerit, sive ob similem causam: Julius Cæsar *pater patriæ* audiit, eoque nomine delectatus est: Trajanus imperator *optimus* est dictus, forsitan quod juravit neminem bonum virum suo jussu occisum iri. Præclari quidem sunt hi tituli, magna nomina; sed quid hæc ad titulum Joannis? Illi cum suis titulis ardent in inferno: Joannes vero triumphat in cælo. Quare si quem honoris titulum in hac vita obtinere volumus, illum omni contentione quæramus, quo dilecti appellemur Christi.

CONCIO III.

QUI MALE SEQUANTUR CHRISTUM.

I. Quidam sequuntur præsumptuose. — II. Alii tepide. — III. Alii coacte. — IV. Alii inefficaciter. — V. Alii inconstanter. — VI. Alii cunctanter. — VII. Alii malo fine.

THEMA.

Sequere me. Joann. ult.

Scire vos arbitror, auditores, venisse in mundum Dei Filium, ut redemptorem, ut præcepto-

rem, ut ductorem: ut redemptorem, qui Deo nos reconciliet; ut præceptorem, qui nos instruat: ut doctorem, qui nos exemplo suo excitet. De primo loquitur Isaias, cap. LIX. *Cum venerit Sion, (id est Sioni) redemptor: de secundo, cap. XXX. Oculi tui videbunt præceptorem tuum: de tertio, Michaas, c. V. prout citatur a sacerdotibus, Matth. II. Et tu Bethlehem, etc. ex te enim exiit dux, etc.* Videtur omnia simul comprehendisse Spiritus s. Isaiæ, cap. LV. cum ait: *Ecce testem (fœderis nimirum inter Deum et hominem, seu feciale) populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Dimittamus nunc redemptorem, necnon præceptorem, ducem videamus. Sane quemadmodum dux undique conscribit milites atque ad sequendum provocat cum tympano et fistula, ita fecit Christus. Tota enim vita sua, omnibus suis actibus quodammodo clamavit id, quod in hodierno evangelio ait Petro: *Sequere me*, ad militiam spiritualem scilicet et regnum cœli expugnandum. Clamavit hoc in præsepio, clamavit in conversatione, clamavit in cruce. Verum enim vero, quemadmodum contingit sæpe, ut milites conscripti non sequantur ducem, quo modo stipulati sunt, alii sequantur, sed formidolose, alii inconstanter, alii malo fine, etc. ita contingit Christo duci nostro. Multi eum sequuntur, pauci vero sicut debent, quos nunc in scenam producemus.

I. Quidam sequuntur Christum præsumptuose et suis nimium confisi viribus, uti fecerat ante Christi passionem Petrus: *Quare non possum te sequi modo? Animam pro te ponam: item: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: rursum: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego: sed paulo post expertus est, Dominum vera prædixisse, et vires suas nullas esse, quando ad primam statim vocem unius ancillæ negavit.* Hinc igitur edoctus et cautior factus, postea non amplius suis viribus credidit, sed humiliter de se sensit, sibi ipsi diffidens, uti patet ex quæstione Domini, quæ hodierno evangelio immediate præmittitur a Joanne: *Petre amas me? Non enim hoc asserere ex sua scientia ausus est; Domine tu scis, inquit, quia amo te.* Tu, inquit, non ego, quia prius a seipso deceptus erat. Evenit igitur hic Petro, quod antiqui scripserunt, vel finxerunt potius de Icaro, qui una cum patre e Creta insula fugiens, fretus alarum præsidio, cum ultra patris jussa altius volasset, solisque ardore cera, qua pennæ continebantur, liquefacta esset, ita ut ab alis deflueret, decidit in mare. Fabula ex eo orta videtur, quod cum Dædalus a Creta navigio fugisset, Icarus filius patrem simili navigio secutus est, sed pater quidem aspirantibus ventis ad por-

tum venit et evasit, filius vero cum alto nimis mari sese commisisset, ruptis velis ac nave interiit. Ergo Petrus, etiam, cum iturum ad passionem et crucem Dominum, suis præfisis alis seu viribus, sequi contenderet, monente interim Domino, ne alte nimis evolare, id est, de se nimium præsumeret, dum consilium non observat, primo, statim ingressus in atrium sacerdotis ad vocem ancillæ territus, liquefactis quodammodo pennis confidentiæ suæ concidit, et negavit. Idem contingit omnibus, qui suis nimium fidentes viribus, Christum sequi volunt, seu ad virtutum progressum, seu ad patiendum, seu ad salutem consequendam. Et sane multi reperiuntur, qui tametsi vitam non optime instituerunt, nihilominus sibi cœlum secure pollicentur, et absque ullo timore abeunt ex hoc sæculo ad iudicium, velut ad epulas invitati. Alii nimis temere se ingerunt in tentationes et alto credunt mari. Quibus ego timeo, ne alii de alto decendant, hi in alto pereant; cum habeant alas cereas, id est, vires debiles.

II. Alii tepide et a longe cum eodem Petro, Matth. XXVI. qui propterea fortasse paulo post negavit, quia Christum tepide et a longe secutus fuerat. Qui enim fervorem remittunt et spernunt modica, paulatim decidunt. Et Christus cuidam episcopo scribit per Joannem, Apoc. III. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Incipiam, inquit evomere, non evomui; quia per oscitantiam meretur homo paulatim destitui Dei gratia; qua præservaretur a lapsu. Quamdiu S. Petrus Christo proxime adhæsit, securus a lapsu fuit. Ubi se elongavit, cadere cœpit. Quid est autem proxime Christum sequi, nisi magno amore sequi? Amor enim nos rei amatæ jungit, sicuti amoris frigus separat nos ab eadem. Et quemadmodum qui alium a longe sequitur, facile ejus aspectum amittit: ita si Christum a longe sequaris, corde scilicet tepido, cito ille tuum effugiet conspectum, ac proinde facile in imitatione ejus deficiet. Et ita evenit Petro, qui in nocte sequens Christum remotius, cito eum perdidit, cito abnegavit. Scimus ex libro Deut. c. XXV. Amalecum occurrissæ Israeli in deserto peregrinanti, et extremos agminis ejus, qui lassi residebant, cæcidisse. Et aut aliud expectare a maligno hoste possunt, qui ista, qua ex mundi hujus Ægypto ad promissas cœlorum sedes tendimus, via per socordiam et torporem extremi esse volunt? Sane Lutheri tempore extremos agminis, id est, tepidos Christianos percussit Amalec (qui exponitur lingens) hæresis scilicet Lutheri. Non tam attendit Deus, quanto tempore quis eum sequatur, quam quanto cum fervore; ut videre est in parabola operariorum, ubi postremi, qui horam tantum labori impende-*

runt, primi facti sunt ad mercedem. Scimus, milites ad fistulæ et tympani ac tubarum modulos vocari, et duci ad militiam et prælium: *Ut sit explorator omnium securitas et alacritas*, ait Aristoteles, in problem. Gell. l. I. c. XI. scimus etiam Dei jussu exclusos a militia formidolosos, Jud. VII. Viderint ergo tepidi, ne et ipsi tandem ab eo evomantur.

III. Alii coacti et compulsivi servili timore, quomodo Simon Cyrenensis angariatus et compulsus a militibus tulit crucem post Jesum, qui si similiter abscessissent aut compellere desiissent, mox abjecta cruce Jesum reliquisset et viam suam repetisset. Idem videre est in iis, qui metu pœnæ tantum faciunt quæ debent. Ubi enim cessant verbera vel minæ, cessat et progressus ad mandatorum observationem. Hæc est differentia inter motum violentum et naturalem, quod res motæ priori modo, cum totus motus procedat a virtute impressa, quanto longius feruntur, tanto lentius et debilius (ut palam fit in lapide sursum projecto) cessante demum impetu seu vi lapidi impressa, deorsum lapis recidit; at res motæ posteriore modo, quanto pergunt remotius, tanto feruntur celerius, (ut patet in eodem lapide ex aere decidente.) Idem est discrimen inter eos, qui timore pœnæ et inter eos qui Dei ac virtutis amore Christum sequuntur. Illi enim tamdiu progredientur, quamdiu durat increpatio aut increpationis metus: isti vero in progressu magis magisque proficiunt. Rem hanc exemplo declarat sibi noto et familiari S. Greg. papa, hom. XXXVIII. in evang. scribit enim patrem suum habuisse tres sorores, quæ omnes sacræ virgines erant, quarum una Tarsilla, altera Gordiana, tertia Æmiliana vocabatur. Hæ simul in propria domo regularem et socialem vitam ducebant. Verum cum Gordianæ mores essent dissolutiores, non deerant germanæ eam increpantes. Ergo quamdiu illa a sororibus arguebatur, componebat se ad morum honestatem: *Sed cum ejusdem correctionis hora transisset, transibant protinus, et superducta gravitas honestatis, moxque ad levia verba redibat*, ait Greg. Tandem duabus illis germanis ad cœlestem gloriam e vita avocatis, Gordiana mox ut solam se remansisse reperit, oblita timoris et consecrationis suæ rediit ad sæculum et conductorem agrorum suorum duxit in maritum. Multi sane tales, qui quamdiu arguuntur, vel ad bonum impelluntur vel a peccatis præpediuntur, facient officium suum, servant mandata Dei et Ecclesiæ, cessante illo impulsu cessant ab instituto.

IV. Alii inefficaciter, qui volunt et non volunt, juxta id Prov. XIII. *Vult et non vult piger: vult finem, sed non media.* Cujusmodi fuisse videtur

Scriba ille, Matth. VIII. qui dicebat Christo: *Magister sequar te, quocumque ieris.* Sed respondet Dominus, sectandam et esse paupertatem, si velit ipsum sequi: *Vulpes foveas habent, inquit, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*, id est, non habet vel pulvinar in quo dormiat. Cupiebat ergo hic Scriba sequi Christum, forsitan ut cum ipso sederet aliquando in regno ejus, quemadmodum filii Zebedæi, sed nesciebat sectandam sibi esse paupertatem. Qua difficultate absterritus esse videtur; nihil enim ultra respondit: quod tamen fecere filii Zebedæi, qui ante regni possessionem prius invitati ad calicem passionis, responderunt: *Possumus.* Filii Israel audientes fertilitatem terræ promissæ, perrexerunt magno animo ad eam possidendam: sed ubi audierunt morari ibi gigantes, cum quibus sit pugandum, et senserunt itineris difficultatem, noluerunt ultra progredi, Num. XIV. Itaque triumphare volebant et dividere spolia, sed pugnare renuebant. Magni profecto milites! Aliud edocuit suos milites rex Persarum Cyrus, quemadmodum scribit Xenophon. Jussit enim eos pergere in silvam ibique toto die coegit ligna cædere ad sudorem usque; postero die omnes convivio excepit, splendido et opiparo; deinde ex eis quæ sivit, uter eis dies videretur esse melior, hesternus, an hodiernus? Responderunt omnes, hodiernum utique cum pridianus dies fuerit laboris, *hodiernus vero gaudii.* Tum Cyrus: *Si talem ergo diem perennem vultis habere, prius vobis certandum est: ita enim per labores transibitis ad gaudia.* Tibi, Christiane, dictum hoc existima: *Tu enim, Christiane*, ait S. Chrysost. serm. de mart. tom. III. *delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare.*

V. Alii inconstanter, qui bene quidem incipiunt, ingruente vero tentatione retrocedunt; similes illi adolescenti, qui sequebatur Christum comprehensum: sed quousque? Donec apprehenderetur et ipse a militibus. Tunc enim *abjecta sindone nudus profugit ab eis*, Marci XIV. In eodem periculo fuit ille, qui dicebat Christo: *Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi sunt.* Respondit enim ei Dominus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei*, Luc. IX. Ergo cœperat is jam sequi Christum, saltem quoad affectum et votum, ac nisi a Christo tentus fuisset, retro respexisset, sed: *Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi?* ait S. Ber. ep. CCLIII.

Ezech. IX. jubet Deus servos et milites suos signari littera tau, quæ ultima est Hebræis et con summationem ac finem significat, quemadmodum apud Græcos omega; quasi per hoc insinuans illi

id apostoli, II. Tim. II. *Qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit.* Legitime, id est, perseveranter usque ad finem, ut reponit auctor, ser. ad frat. in eremo, apud Aug. ser. VIII.

VI. Alii cunctanter quemadmodum ille, qui audiens se a Christo vocatum voce illa: *Sequere me*, respondit: *Domine, permittite mihi primum ire et sepellire patrem meum.* Cui Dominus: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei.* Luc. IX. si enim abiisset ille domum, periculum erat, ne vel ab amicis spiritualiter mortuis perverteretur, vel hæreditate paterna illectus a Christi sequela averteretur. Hunc in modum: *Omnis peccator dicit: Aliquando Deum sequar, sed non modo,* ait S. Aug. I. VIII. confess. Non sic Matthæus, non sic piscatores ad sequelam Christi vocati: continuo enim omnibus relictis Dominum secuti sunt.

VII. Alii malo fine. Vel enim lucri et alicujus commodi gratia, ut Judas proditor, qui furabatur ex Christi oculis, et ii, qui ob refectionem a Christo sibi exhibitam, eundem sequebantur, Joan. VI. vel ex curiositate, quæ videtur movisse Petrum, ut Christum a Judæis comprehensum per aliquod viæ spatium secutus sit, ut videret finem, ait evangelista, non ut cum eo pateretur. Nos igitur Christiani, ne simus hujusmodi milites. Vultisne videre bonos Christi milites? Petrum et Joannem aspiciate: hic ad ferventis olei dolium, ille ad crucem usque Dominum secutus est.

CONCIO IV.

DE QUINTUPLICI GENERE CURIOSORUM.

I. Quidam ea, quæ supra se contemplantur. — II. Alii quæ infra se. — III. Alii quæ retro se. — IV. Alii quæ ad dexteram. — V. Alii quæ ad sinistram.

THEMA.

Quid ad te? Tu sequere me. Joan. XXI.

Qui angustum pontem transit, si oculos deflectat, cito et facile cadit: *Angusta est via, quæ ducit ad vitam.* Arctus est pons, (crux) quem hodie transeundum Christus Petro prædixit. *Sequere me*, dixit, sed ecce tibi Petrus mox deflectit a cruce oculos. Conversus enim vidit Joannem et dicit Jesu: *Hic autem quid?* unde a Domino corrigitur, auditque: *Quid ad te? Tu sequere me*, q. d. quid ad te quæ foris sunt? Ad me aciem dirige, ad crucem attende. Ita nimirum sunt quam plurimi dum ad alia attendunt, suimet obliviscuntur, adeoque a via salutis suæ graviter aberrant. Alii enim sursum, alii deorsum, alii ad dexteram, ad

sinistram alii oculos deflectunt, et omnes a Christo et scopo salutis suæ deviant per curiositatem. Ita sane Israelitæ in deserto, qui dummodo sursum aspiciunt petentes a Deo carnem et aquam: modo retrorsum petentes regredi in Ægyptum ad ollas carniæ, etc. modo ad latius, considerando et carpendo Moysen et contra eum murmurando: modo deorsum, optando mortem, etc. justo Dei judicio per quadraginta annos in deserto traducti sunt, cum possent alioquin non multis septimanis iter id peragere: nec plures quam Josue et Caleb in terram promissionis pervenerunt. Ita etiam traditores illi qui accusaverant Danielelem, *curiosius* (ut dicitur Danielis VI.) *inquirentes*, et invenientes eum orantem et obsecrantem Deum suum arrepti sunt a leonibus antequam ad eos prorsus demitterentur. Contra vero Daniel, qui orabat, illis tantum fenestris apertis, quæ contra Jerusalem versus templum erant, ac per hoc typus humilium fuit, qui ad Christum tantum non aliorum collimant, illæsus permansit: *Videte igitur, fratres mei, quomodo caute ambuletis*, ut monet nos apost. ad Eph. V. Quod ut fiat, consideremus eos, qui curiose ambulant.

I. Aliqui sursum dirigunt oculos, et superiora se curiose considerant, quales sunt res fidei difficiliore, Dei consilia, etc. Quam multi sunt, qui nimium curiose scrutando fidei secreta ad hæresin deflectere? Ut merito dixerit, Theophylactus, in c. XVIII. Lucæ, curiosum et semper interrogantem non prorsus liberari ab incredulitate: multi etiam arcana Dei, quæ sibi reservavit, indagant, imo, judicare præsumunt. Quid ad te ista? *Tu me sequere.* De ejusmodi enim rebus, si quando rogabatur Socrates, respondebat: (ut refert Laert. et Gellius) *Quæ supra nos, nihil ad nos, volens indicare insufficientes et infantes nos esse ad ea intelligenda.* Si enim in solis aciem recta intendere non possumus, quin statim offendantur oculi et hebescant, quomodo superiora dignoscemus? Hinc uti Zeno Zitticus puerum curiosius quædam ab eo indagantem, quam ætas illa ferret, duxit ad speculum, utque se contempleretur, admonuit rogans, an viderentur tali vultui convenire tales quæstiones? Ita ego te quisquis es adducam ad solem, et si in illius intuitu nutant oculi tui, quanto magis nutabunt consideratione sublimiorum? Dico etiam, si quæ in terris ante oculos sunt, sæpe non providemus, quomodo superiora? Hinc merito illudit ancilla quædam Thaleti sidera contemplantis, et interim in foveam cadenti, dicens, merito id illi accidisse, qui cum quæ ante pedes essent ignoraret, cælum contempleretur ut cognosceret, Antonius, in melissa, p. II. ser. LXXVII. Hujusmodi enim curiositates et

scrutantibus noxiæ sunt, et Deo invisæ. Ut enim lucipetæ dum lumine nimium delectantur, et cum eo quasi ludunt, tandem incaute in id irruunt, inviscantur ac comburuntur: ita qui altiora se curiose scrutantur. Ideo Prov. XXV. dicitur: *Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.* Quomodo opprimetur? Sicut infans nimis solis luci expositus (ut experientia probat) facile fit luscus aut penitus excæcatur, quia visus hebetudo nimis splendore opprimetur: vel sicut qui in fodinis scrutatur aurum, et cum altius foderit, a corrueat fossa opprimitur. Deinde, Deo invisæ est ejusmodi scrutatio. Euclides rogatus a quodam, quales essent dii: *Cætera quidem ignoro*, respondit, *curiosos autem illis odio esse certo scio*, Maxim. ser. XXI. Simile est, quod S. Aug. I. XXI. confess. cap. XII. de quodam recenset, qui interrogatus, quid Deus fecerit antequam cælum faceret et terram: *Alta*, aiebat, *scrutantibus gehennas parabat.* Certe Num. IV. expressum Dei mandatum plebi datur: *Alii nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, priusquam involvantur, alioquin morientur.* Hinc cum Bethsamitæ viderent arcam ad se venientem, curiosius nimirum introsipientes, percussi sunt a Domino ad septuaginta viros et quinquaginta millia plebis, I. Reg. VI. Involvuntur res sacræ Scripturæ, cum per patrum sententias explicantur, et ita licet eas contemplari, nudas vero nequaquam, hominibus inquam indoctis, qui ibi exprimuntur voce: Alii, id est, vulgus. Sed neque sacros Ecclesiæ ritus dijudicare, aut curiosius rimari decet proprio sensu, ipsi enim involucri sunt sacrorum mysteriorum.

II. Alii ad ea attendunt, quæ infra se sunt; nugas et inutiles res instar puerorum: *Quibus non tam placet solida quam picta*, ut ait Chrysost. in prolog. super Matth. *quique potius pulchra quam utilia sectantur, nec tam agentia diligunt quam sanantia.* Tali curiositate agebatur, qui Catonem consulebat, quid ostenti esset, quod sorices ejus arrosissent caligas? Qui respondens, nihil id esse ostenti, aiebat: *Ostentum autem futurum, si sorices arrosissent caligæ, Pontam, in Att. Bellar. tit. de salib. Simili curiositate tenebatur, qui Thaletem rogans, nox an dies prior fuerit, responso simili elusus est: Nox uno die prior fuit.* Talis Herodes, qui cupiens videre signum a Christo, interrogabat eum de multis, scilicet et impertinentibus. Ideo Christus ei nihil respondit, Luc. XXIII. Sic etiam Jacob cum angelo luctans, cum petisset ejus nomen, rem impertinentem et curiosam, non obtinuit; benedictionem vero ejus vice obtinuit, quam paulo ante petierat, Gen. XXXII. Tales, qui omnes domos, urbes, nationes pervagantur, non tam ut discant, quam ut vi-

deant, interim cælum non animum mutant, juxta in Proverb. XVII. *Stultorum oculi in finibus terræ* Quos S. August. in Psal. VIII. comparat piscibus, qui perambulant semitas maris, id est inquirunt in profundo hujus sæculi temporalia, quæ tamquam semitæ in mari tam cito evanescent et intereunt, quam rursus aqua confunditur, postquam transeuntibus locum dederit. *Æc Aug. Ut enim plurima viderint, non plus utilitatis secum auferunt, quam vestigiis relinquunt.* Sunt enim veluti pisces illi thynni, qui mera curiositate navium ducti, eandem in mari mira quadam dulcedine, ut ait Plin. lib. IX. c. XV. per aliquot horarum spatia comitantur: quo fit ut a nautis facile tridentibus feriantur. Simili modo, quia omnia mundi spectacula sectantur, a diabolo, qui mundum hunc pernavigat, tridente, concupiscentia scilicet oculorum, vel carnis, vel superbia vitæ, facile capiuntur. Notavit hoc Esdras, lib. IV. c. IV. dicens: *Si fueris plurimum scrutatus frequenter miraberis.* Quid tum postea, multum sane: si enim frequenter miraberis in vanitatum contemplatione, frequenter in iis insistes et hærebis. (Mirantes enim subsistere ethæsitare super re ignorata solent) atque ita fiet ut facile inesceris a concupiscentiis mundi abstractus et illectus. Sic enim leporem, balista ut trajiciat venator, cum currentem videt, fistulam certam inflat, mox lepus stat attonitus et quasi miratur, seque in posteriores pedes erigit circumspiciens, interim globo trajicitur. Sic nimirum et curiosus dum mundi vanitatibus seu inani sono destinetur, facile a dæmone intercipitur. Qui hoc ad oculum videre capit, ad Scripturæ campum eat. Et inveniet imprimis tali hæsitacione seductam Evam. Sibilat serpens ille antiquus, et venator possimus ad lepusculum, Evam: *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: ecce jam moratur, jam assurgit lepus, jam miratur et stat attonita Eva. Vidit igitur quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis, affectuque delectabile, et tulit de fructu illius et comedit.* Ecce ictum, ecce vulnus et mortem, Gen. II. Simili curiositate captus est lepusculus alter, Dina, Gen. XXXIV. quæ egressa ut videret mulieres nationis peregrinæ, rapta, atque oppressa est. Quæ, si non stetit in rei vanæ contemplatione, vitiata non fuisset. Itaque quia via nostra undique obsessa est, ne miremur, ne sistamus. Subjungit Esdras: *Quoniam festinans festinat sæculum pertransire.* Quando temporis necessitate urgemur, necessaria tantum curamus, ad reliqua non attendimus, ut: *Qui in agone currit aut cum altero contendit, ab omnibus se abstinet*, ait Paulus, I. Cor. IX. id est,

ab impertinentibus ad cursum et pugnam, uti vestes abjiciendo, non tantum non alieno se onerando.

Jam sicut merito insanus censeretur, qui pro præmia maximo et certissimo currens vagaretur et undique diverteret, aut qui duello certans, aerem tantum verberaret: ita quoque, qui sciens tempus breve et periculum in mora esse, inepta et aliena agit. Ideo mox subjungens ait apostolus, I. Cor. IX. *Sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans.* In incertum pugnat, qui non cogitat vel non credit quantum sit vincendum propositum præmium; unde in cursu statim cessat et aliud agit, uti fit cum pueri sine spe præmii currunt. Aerem verberat, qui rebus curiosis studet et inanibus: atqui o cursores et pugiles, et præmium vobis propositum est et tempus breve est: *Reliquum est igitur, ut apostolus, I. Cor. VII. ait, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Quod si eorum etiã oblivisci debemus, quorum vix possumus, quia nostra sunt: quanto magis deserendæ nugæ et curiositates? Sed hominem ethnicum etiã audiamus Senecam, epist. XVI. « Demens omnibus merito, inquit, viderer, si cum saxa in munimentum murorum senes et feminæ congererent, cum juvenus intra portas armata signum eruptionis expectaret, cum hostilia in portis tela vibrarent, et ipsum solum suffossionibus et stimulis tremere, sederem otiosus et hujusmodi quæstiunculas proponens: Quod non perdidisti habes, cornua non perdidisti, cornua ergo habes. Numquid tibi demens videar, si isti impendero operam et nunc obsideo? Quid agam? Mors me sequitur, vita fugit. » Hæc Seneca admodum christiane. Quid enim in hoc mundo cernimus, nisi ab hostibus undique nos circumdari? Et vacabit igitur alicui inter hæc nugari? Vagari, etc.

III. Retrospeciant alii velut monstra illa hominum de quibus Plin. lib. VII. cap. II. qui habet oculos in humeris. Retro nos sunt tum præterita tum futura, quarum neutra jam videntur, sed utraque a tergo sunt. Præteritum fugit a nobis, futurum sequitur. In utroque sunt curiositates: occupantur alii circa futura, et hi vel per media illicita, per necromantiam, et de his alibi. Vel inaniter solum et curiose, ut qui de tempestatibus futuris conjectant, vel de aliis eventibus solliciti sunt. Canis ille Æsopicus, dum frustum carnis in aqua quærit, perdit id quod in ore habuit: sic qui in ludo vulgari, ad infernum (ut vocant) eunt, expectant semper meliorem in commutationem chartam et pe-

jorem plerumque accipiunt, et sic itur ad infernum; nam diabolus spe futurorum eripit tibi præsens. Ut enim e corrente flumine tantum habes, quantum hauris, ita ex tempore prætereunte nihil habes nisi in quantum præsentem uteris. Lubricum est tempus, et nisi capite id apprehendas, prorsus elabetur. Ideo velut cæci tempus apprehendere debemus, quamprimum scilicet id habemus si cæco baculum præbas ut ei ducatum præstes, qua primum parte potest eum apprehendit, quia nescit quam longus sit, oculus alius apprehendit in extremitate. Unde Actor. I. quærentibus discipulis: *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* ait Dominus: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta.* Ubi notandum, quod ait tempora vel momenta: nescimus enim utrum supersit nobis tempus, an momentum tantummodo unum. Dum enim aliqui expectant tempus, momentum eis vix superest. Alii præterita rimantur, nova undique conquirunt et investigant, quid hic vel ibi factum sit fiatque. Ita retrospexit uxor Loth, volens scire quid fieret in Sodoma. Unde monetur ab angelis: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac,* Gen. XIX.

IV. Alii ad dexteram obtutus suos figunt: qui novorum curiosi circa alios tantum occupantur, eos considerant, licet non sinistre de aliis multa audire et intelligere cupiunt, et seipsos negligunt. Tales dixit Paulus esse Thessalonicenses, II. Thessal. III. *Ambulans inquiete, nihil operantes, sed curiosius agentes:* tales etiã ait esse viduas illas juniores, I. Tim. V. *Quæ otiose discunt circuire domos: non solum otiosæ sed et verbosæ et curiosæ loquentes quæ non oportet:* tales et Athenienses, Act. XVII. cupientes a S. Paulo audire tantum nova: *Qui ad nihil aliud vacabant* (ut dicitur ibi) *nisi aut dicere aut audire aliquid novi.* Quales recte Plutarchus, in moralibus coriariis comparat et piscatoribus, qui semper optant pecorum proventum et piscium: sic curiosi novarum rerum commotionem, ut habeant quod venentur. Sed S. Hieronymus, in epist. de duobus filiis, dæmonum cibum vocat ejusmodi sæculari scientiam, qui uti non esuriunt, ita nec satiari ejusmodi curiositatibus hominum possunt. Cretensium lex fuisse memoratur, qua vetabatur ne quis obvium peregrinum interrogaret, unde veniret quis esset, quidve peteret: ac qui contra faceret virgis cæderetur, ut hoc modo curiositatem hominum impedirent. Sane Christus etiã, Luc. X. mittens ad prædicandum discipulos, præcipit: *Neminem per viam salutaveritis:* neminem, ut ne occuparentur in hominum et

salutationibus et curiositatibus, ait Theophylactus. Quod item Elisæus servo suo præcepit IV. Reg. IV. item Eccles. cap. III. *De re, quæ te non molestat, ne certaveris, et in pluribus operibus ejus ne sis curiosus.* Alii totos se dedunt, ut aliis consulant, seipsos interim deserunt: similes aliquibus, qui quæ procul sunt, optime vident, non item quæ prope. Dum de Joanne cogitat Petrus: *Hic autem quid?* respondetur a Christo: *Quid a te?* Balaam, ut dicitur, Apoc. II. docebat regem Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari, ut sic gladium illorum evaderet, et interim sibi non consulit, quia ut habetur, Num. XXXI. gladio eorum occubuit. Similes isti sunt divinatori illi, qui, ut est in fabulis, dum in foro responderet consulentibus, subito nuntiatur ei, domum ejus patere et suppellectilem omnem direptam esse. Cui mox domum properanti insultabat obvius: *Heus tu, inquit, cum alienarum rerum prædictionem profiterere, cur tuam negligebas?* Tales sane quam plurimi.

V. Ad lævam respiciunt, qui nimirum aliena tantum vitia carpunt, sua non considerant. Modo culpant magistrum, modo clerum, modo hanc vel illam familiam, etc. et ob id primo seipsos negligunt. S. Bernard. de interiori domo, c. XLIII. ait: *Tamdiu quisque sua peccata ignorat, quamdiu curiosi aliena considerat.* Quo fit ut ipsi animæ suæ detrimentum patiantur. Domino manente in domo sua, omnia recte habent, et omnes faciunt officium suum: illo exeunte omnia pessum eunt. Sic ratione seipsam colligente et se considerante, faciunt sensus et cogitationes officium suum, alia secus. Esau sæpe egrediebatur foras, Jacob non item. Audi Bernard. de gradibus humilitatis: « Si te, ait, vigilanter homo attendas, mirum est, si ad aliud nunquam intendas: » et paulo post: « Quum enim a te curiose recedis, cui te interim committis? » et de conversione ad clericos, c. XII. ait: « Certe nihil in homine, cui curiositas prosit, invenies. Frivola prorsus et inanis ac nugatoria consolatio, et nescio quid illi durius imprecet, quam ut semper habeat quod requirat, qui jucundæ quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectatur. » Hæc ille. Deinde, curiositas ista in se turpis est et odiosa hominibus. Turpe sane alienam ingredi domum non petita prius licentia nec pulsatis foribus, qua de causa Solon Atheniensibus legem dedit, ut ad singulas ædium fores singuli penderent mallei, quibus ædes prius pulsarentur, ab ingredientibus, et contra venientes pro furibus haberentur. Notent hoc, qui alienas litteras reserant et legunt. Ideo enim seratæ et sigillo munitæ sunt: *Ne tu scires,* uti respondit quidam bajulus sciscitanti: *Quid*

sub velo gereret, apud Plutarch. Similis lex continetur, Deut. XXIV. ut repetentes rem suam commodatam nec ingrederentur domum illius, sed foris expectarent: quia nimirum, ut Rupertus ibidem explicat, mala proximi suspicari non debemus. Xenocrates aiebat nihil referre, utrum pedes et oculos inferas in ædes alienas, Laert. lib. IV. c. II. et Eccles. XXIX. dicitur: *Vita nequam hospitandi de domo in domum.* S. Bernardus, in quodam sermone ait: *Curiosus foras egreditur et exterius omnia considerat; qui sic interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit.* Indignamur institutoribus ut portitoribus quod aliena scrutentur vasa et merces, cum lex id eis præcipiat, et ni faciant, damnum facturi sint: multo magis succensendum iis, qui non ex officio sed mera curiositate jus magistratus sibi arrogant et negotia aliena scrutantur. Certe plurimi tales sunt institutores qui neminem transire fere patiuntur, quin vectigal aliquod ab eo auferant, id est, videant quod carpant. Ephrem diaconus, qui cum Edessæ cibum sibi coqueret, a muliercula probrosa de fenestella prospiciente irrisus est dicente: *Benedic abba, quid deest tibi?* Et ille: *Tres lateres,* inquit, *ac parum luti, ut hæc fenestra obstruatur.* Pont. in Attic. Bellar. de apopheg. Episcopum etiã Sisinnium bis in die lavari solitum, carpebat curiosus rogans: Cur cum esset episcopus, bis in die ablueretur? sed respondit episcopus stulto secundum stultitiam suam: *Quia temporis,* inquit, *excludor angustia, ne tertio, laver.* Memini me audisse a magnæ auctoritatis viro, Florentinæ civitatis senatores munditiei urbis sui consulturos decrevisse, ut præ foribus domus suæ verrat unusquisque. Quidni sanum sit hoc consilium quod etiã apostolus dedit Thessalonicensibus, epist. I. cap. IV. dicens: *Vestrum negotium agatis?* Ita prorsus mundam et beatam judico eam civitatem, ubi sua quisque curat. Quod si igitur hoc obtinere et pontem crucis transire velimus, oculos nostros coerceamus et ab his curiositatibus deflectamus. At dices: Nullone pacto aliorum spectare licet; licet sane, sed alio fine: sursum vide, ut videas cælestem præmiatorem, qui dat mensuram confectam et coagitatam iis, qui se potius quam alia curant: infra vide infernum paratum curiosis sui neglectibus: retro, tua peccata, ut ea per penitentiam deleas: ad dexteram, bona exempla priorum, ut ea imiteris: ad sinistram, peccata malorum, ut vel pro iis ores, vel si potes eos corrigas, et ad viam regiam crucis deducas. Amen.